



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Distinctio vigesima.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

personæ. Si ergo in hoc casu bonum commune non posset seruari nisi cum dispendio famæ singularis personæ, illud ex charitate est negligendum, ut bonum commune ex charitate possit seruari. Et sic est intelligenda autoritas Hier. dicens, quod misericordia est parcere vni, & multos in discrimen adducere. Polluitur enim populus ex vno peccatore, sicut ex vna oue morbida vniuersus grex. Si autem peccatum sit solum nocuum peccanti, nec sit ita notum quod possit probari, nec de eo sit peccator infamatus: tunc secreta monitio locum habet, quæ siue valeat, siue non sistendum est in ea, nec procedendum est ad aliquam denunciationem faciendam superiori vel superiori est & persona publica. Cuius ratio est, quia denuntiatio ad hoc fit superiori ut ipse de peccato inquirat & peccatorem corrigat, sed ad hoc non potest Prælati procedere nisi peccatum illud possit probari, vel peccator sit de eo infamatus, ergo ubi nevrū istorum est, locum non habet denuntiatio: si autem dicatur quod denuntiatio non habet hic locum ut fiat immediate post admonitionem secretam, potest tamen habere locum ut fiat mediante inductione testium, ut Dominus videtur dicere Mat. 18. Si te non audierit adhibe tecum vnū vel duos testes, ut in ore duorum vel trium testium, &c. non valet quia inductio testium vel sit ad probandum factum, vel ad probandum admonitionem: non ad probandum factum, quia aut ad probandum præteritū, aut ad obseruandum futurum: ut probetur factū præteritum probari non potest per eos, quia nihil sciunt, futurum vero obseruari non debet vel saltem nullus ad hoc tenetur, sicut allegatur est de Aug. supra qu. præc. quod non tenemur esse exploratores vite alienæ. Et si probabiliter crederetur quod peccatum esset iterandum, magis esset secundum charitatem statim indicandum illi qui posset impedire quod inducere testes ad conuincendum eum post factum: nec potest dici quod testes debeant induci ad probandum admonitionem ut eis inductis postea sequatur denuntiatio, quia talis inductio sine fructu esset, cum per eam non posset sequi correctio peccatoris, magis etiam esset proditio criminis quæ correctio peccantis. Quod autem non possit sequi correctio patet, quia in nullo probatur crimine, quia vox omnium non est nisi vox vnus. Item denunciatio exponit se periculo, quia si peccator neget crimen potest cõqueri superiori de eo quod denunciatio eum infamauit imponendo coram pluribus criminem quod non commisit, & sic alter merito puniretur. Videtur ergo quod in hoc casu sistendum sit in monitione secreta, sic quod nunquam sit vlterior procedendum ad denunciationem faciendam Prælati ut est persona publica: quod dico pro tanto, quia si probabiliter credatur quod Prælati ut bonus vir & non ut iudex posset prodesse peccatori & non obesse vel per secretam admonitionem, vel prælati dendo occasionem peccandi sine reuelatione peccatoris, potest ei in secreto dici peccatum fratris ut adhibeat remedium quod poterit adhibere, & eodem modo potest dici alii non prælati si crederetur quod velle & posset alteri prodesse. Et hoc est quod dicit beatus Aug. super Leuit. 5. capitulo, super illo verbo: Qui audierit aliquem falsum iurare & rater, &c. Et recitatur. 22. q. 6. ca. Hoc videtur, ubi dicit sic: Videtur mihi quod de hoc soluat peccati vinculo ille supple qui scit periculum alterius, si indicet talibus qui magis possent prodesse quam obesse perituro siue eum corrigendo, siue Deum pro eo placando.

Si autem peccatum non sit omnino occultum, nec omnino notum, hoc est quod innotescit pluribus per quos conuincitur potest, vel apud graues personas diffamatus est quæuis publica fama non fit contra eum, sic videtur habere locum processus quæ Dominus ponit in Euangelio, ut scilicet primo secretè admoneatur de correctione, quæ si non proficit admoneatur de correctione coram illis qui factum sciunt, quod si nec istud proficit tunc deinde denunciandum est ecclesie. Et ratio huius est, quia ex charitate subueniendum est conscientie quantum possibile est absque detrimento famæ: sicut ergo ex præcepto charitatis tenetur quis sanare fratris conscientiam non ledendo in aliquo eius famam si hoc potest fieri per aliquam secretam admonitionem quando peccatum est penitus occultum, sic quando non potest emendari conscientia seruando totaliter famam quæ iam apud aliquos læsa est, subueniendum est ex charitate emendationi conscientie absque vltiori læsione famæ, quod fit

per admonitionem quæ fit coram testibus qui aliam sciunt factam. Et hi inducuntur non ad sciendum factum cum prius scirent, sed ut coram ipsis efficacior sit correctio, & ut probetur correctio si contingat ad publicam denunciationem procedere, ne denunciatio repellatur a denunciatione tanquam inimicus vel suspectus.

His tamen quæ prius dicta sunt videtur obuiare quod dicit beatus Aug. in regula, ubi innuit, quod qui non corrigitur per secretam admonitionem fratris, denunciandus est prælati non tanquam publicæ personæ, sed tanquam ei qui vult prodesse & non obesse. Et in hoc bene cõcordat cum secundo membro præcedentis determinationis: sed vltorius dicit, quod negantem adhibendi sunt alii etiam coram omnibus ut possit non ab vno teste argui, sed a duobus, vel tribus conuinci. In quo videtur innuere quod testes inducendi sunt ad explorandum peccatum futurum, ut per eos conuincatur coram prælati, quod est contra prius dicta. Sed aduertendum est quod Aug. non videtur loqui de eo quod est crimen secundum se, sed de eo quod potest esse occasio criminis, ut est aspectus fixus in mulierem de quo ibi loquitur, nec ad hoc explorandum dicit testes induci, sed si contingat iterari & præsentis sint aliqui qui forte non aduertunt, inducendi sunt, ut aduertant & sic testimonium ferant, ut talis possit ad prælati debita feruoritate cõrecti, ne labatur in crimen cuius iam habet occasionem, & ad quod habet pronitatem: non loquitur autem de crimine iam commisso, quod si sit occultum debeat aliis reuelari, vel conuincendum debeat explorari, & ita non est contra prædeterminata.

AD primum arg. in oppositum dicendum, quod sicur aliqui dicunt, in accusatione non agitur ad emendationem delinquentis, sed ad bonum commune, scilicet ad conseruandum iustitiam per punitionem delinquentis. Et ideo accusatio in iudicio potest fieri etiam si admonitio non præcedit: nec est contra præceptum domini quod intelligitur quando agitur ad emendationem delinquentis. Aliis videtur quod quantum secundum forum causarium non requiratur quod præcedat admonitio, sed solum inscriptio, tamen secundum forum conscientie non est ad eam procedendum nisi admonitione præmissa, & emendatione expectata, si speretur propter rationem prius positam: nec cogit ratio alterius partis, quia bonum commune non est læsum per peccatum alicuius quousque deductum est in publicum. Et ideo si admoneatur de correctione antequam crimen eius publicetur per accusationem, fit secundum charitatem. Si autem non premitur admonitio ad eum correctionem, peruertitur ordo charitatis, quia iniuste dimittitur charitativa emendatio fratris.

Ad secundum dicendum quod Christus ut Deus non uerat Iuda non incorrigibilem, & ideo non oportuit quod aduerneret eum secretè, quod fit propter correctionem. Petrus autem publicauit peccatum Ananiæ & Saphiræ eadem rationem cum sciret hoc per sancti spiritus reuelationem, & infixit eis tanquam incorrigibilibus penam ad terrorem aliorum. De Paulo autem patet respositio: quia Petrus coram omnibus peccauit, & ideo oportuit ipsum coram omnibus redargui iuxta illud Tim. 5. Peccantem coram omnibus argue. Ioseph autem præmonuit fratres, licet non legatur, vel si prætermisit errauit: licet posset propter defectum ætatis aliquantulum excusari saltem à tanto. Alii excusant eum dicentes, quod ipse non denunciavit, sed accusauit sicut textus dixit quod accusauit fratres suos apud patrem crimine pessimo: non est autem necesse quod accusationem præcedat fraterna admonitio. Sed istud minus valet, quia accusans si deficiat in probatione debet puniri pena talionis. Si uero probet, accusatus debet puniri secundum quantum & qualitate criminis, quodrum neutrum legitur ibi factum. Nec oportet quod nomen accusationis sumatur ita strictè, sicut sumunt iuristi: sed pro quacumque reuelatione seu declaratione criminis: nec est conandum ad excusandum omnia facta antiquorum qui in multis errauerunt.

Sententia huius distinctionis. X X.

in generali & speciali.

Sciendum est, &c. Superius determinauit Magister de penitentia & eius partibus, & de potestate ministrorum hoc sacramentum dispensantium: hic determinat

minat de quibusdam penitentiam consequentibus. Et dicitur in duo. Primo determinat de tempore penitentiae. Secundò determinat quaedam quae ad effectum penitentiae pertinent dist. 21. ibi, caeterum multis autoritatibus. Prima in duas. Primo ostendit tempus penitentiae usque in finem vitae esse. Secundò mouet quaedam quaestiones quae ex dictis ortum habent dist. 21. ibi, solet etiam quæri utrum post. Prima est principalis lectionis, & diuiditur in tres. Primo ostendit tempus penitentiae esse usque in finem vitae, & opponit per Aug. in contrariū & soluit. Secundò mouet quaestione de illis qui quandoque condignā in hac vita satisfactionē implēt. Tertio inquirat qualiter sit agendum cum illis qui in fine vitae penitēt. Secūda ibi, Si verò quaeritur de illis. Tertia ibi, solet etiam quæri utrum.

2 IN speciali sic procedit, & proponit primò quòd tempus penitentiae durat usque ad finem vitae: An. autem videtur dicere quòd illi qui solum in fine vitae penitent in seculo statu non transeunt de hac vita. Sed quia penitentia satisfactoria est vespertinum sacrificium, & ideo Deo acceptanda: ideo verba Aug. praemissa intelligenda sunt de illis qui non ex amore Dei, sed timore mortis penitentiam agunt, & pro tanto securitatem non dat Aug. quia difficile in tali statu penitentiam agunt propter filios, uxorem, mundum & dolorem mortis, quae in illo statu terrant hominē à conuersione ad Deum, tamen qui in fine vitae penitent, bene possunt penitere, sed in purgatorio soluunt poenam quā in presenti nō absolunt, nisi forte tam vehemens esset contritio, vt sufficeret ad debitam punitionem, vbi etiā incidenter dicitur quod ignis purgatorii est grauior quā aliqua poena temporalis. Postea mouet duas quaestiones de solutione poenae post hanc vitam. Prima est de illis qui penitentiam sibi imposuit in hac vita non impleuerunt, utrum in purgatorio penitentiam soluunt. Et respondet quòd sic, nisi in eis fuerit tanta contritio quòd vel illa solui, vel illa cum poenitentia quā fecit sufficit ad penitentiae completionē, Deus enim impunitum crimen non dimittit. Secunda est de his qui fecerunt penitentiam sibi imposuit à sacerdote, quae tamen penitentia nō fuit condigna peccato commissio, utrum in purgatorio pro ea puniantur. Et respondet quòd sic, nisi vehementia contritionis peccata sufficienter puniat: propter quod August. vult cordis contritionem in penitente multum attendi. Sed quia de contritione non constat, ideo penitentia non imponitur, quae vt idem Aug. dicit, secundū contritionis modum diuersimodè imponenda est. Vltimò dicit quòd morientibus nō est neganda reconciliatio si petant, quòd si tunc petere non possunt pra grauiamine infirmitatis & prius petuerunt testimonio fidelium, astantium reconciliandi sunt: sacerdos autem qui talibus penitentiam negat, reus est animarum. Solenniter autem penitentem non debet presbyter reconciliare inconsulto Episcopo nisi in extrema necessitate. Subdit etiam quòd si aliquis ad penitentiam festinans nō inueniat sacerdotem & sic mortuus est, obligatio eius est recipienda, & elemosyna pro eo faciēda. Et in hoc terminatur sententia, &c.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum ille qui implet penitentiam à sacerdote sibi iniunctam sit totaliter liberatus.

Circa distinctionem istam quaeritur de duobus. Primum est de taxatione poenae per sacerdotem. Secundum est de relaxatione poenae per indulgentias. Circa primum primò quaeritur utrum ille qui implet penitentiam à sacerdote sibi iniunctam sit totaliter liberatus. Et arguitur quòd sic, quia sacerdos est arbiter inter penitentem & Deum, ergo sicut penitens debet acceptare taxationem poenae per sacerdotem, ita videtur quòd Deus debeat illa taxatione esse contentus.

2 Item pronior est Deus ad miserendum quā ad condemnandum, sed si sacerdos imponeret peccatori maiorem penitentiam quā debeatur culpa, peccator teneretur ad faciendum eam, ergo similiter si iniungat minorem videtur quòd faciendum eam sit totaliter liberatus.

3 IN contrarium arguitur, quia Deus pro maiori culpa exigit maiorem poenam, & pro minori minorem, cum hoc habeat ordo iustitiae. Sed sacerdos & etiam Canones

Quaestio I.

imponunt quandoque pro minori culpa maiorem poenam & e conuerso, sicut laico imponitur penitentia septennnis pro homicidio, sacerdoti verò imponitur decennis pro fornicatione: licet homicidium sit maius peccatum quā fornicatio, ergo videtur quòd apud Deum non sufficiat talis taxatio.

4 RESPONSI O. Videnda sunt duo quae tanguntur in argumētis. Primum est qualiter poena sit à sacerdote taxanda, an. s. pro maiori culpa sit semper imponēda maior poena. Secundum est supposito quòd sacerdos discretè taxet poenam, utrum faciens eam sit à poena totaliter liberatus.

5 Quantum ad primum sciendum est, quòd poena in confessione taxatur propter duo. s. propter remediū praestandum contra reciduum, & propter debitum soluendū. Quantum ad debitum soluendū semper esset imponenda maior poena pro maiori culpa. Cuius ratio est, quia poena soluitur, vt inaequalitas iniustitiae commissae per culpam reducat ad aequalitatem iustitiae per solutionem poenae: sed maior inaequalitas iniustitiae committitur per maiorem culpam, ergo non reducit ad aequalitatem iniustitiae nisi per maiorem poenam. Si autem consideretur poena prout praestat remediū contra reciduum in peccatore, & contra scandalum quod oritur in plebe, sic non semper imponēda est maior poena pro maiori culpa, sed quandoque minor. Cuius ratio est, quia poena praestat remediū contra reciduum & scandalum in quantum prohibet pronitatem ad peccandum: vbi est ergo maior pronitas ad peccandum ibi requiritur maius retractiuū, sed in eo qui committit minorem culpam quandoque est maior pronitas ad reciduum, sicut in iuvene fornicante maior est pronitas quā in sene, ergo indiget maiori poena ipsum retrahente quā senex, licet minus peccet, quia maius incentiuū habet. Eadem ratio est de scandalo, quia minus peccatum quandoque est magis scandalizatiuum & magis trahitur in exemplū in persona quae debet esse maioris edificationis (sicut est fornicatio in sacerdote) quā sit maius peccatum in priuata persona (puta homicidium) & praecipue quia nō est in communitate tāta pronitas ad hoc peccatum, & sic patet primum qualiter est taxanda poena & culpa.

6 Quantum ad secundum dicendum est quòd si poena imposita à sacerdote nō sit condigna pro solutione poenae debita culpa, tunc exoluens talem poenam non est simpliciter liberatus, sed faciet residuum in purgatorio. Cuius ratio est, quia error sacerdotis seu qualiscūque indifpositio penitentis nō debet mutare iustitiam diuinam quò ad punitionem peccatorum: sed quòd imponatur poena non condigna culpae prouenit vel ex errore sacerdotis nescientis ponderare quantitatem culpae vel saltē ex eius nescientia, quia non potest eam perfecte cognoscere, nec contritionem penitentis, vel dato quòd sciat ex industria, sibi imponit minorem poenam propter conditionem penitentis, qui forte magnitudine poenae posset à penitentia agenda impediri propter debilitatē corporis vel infirmitatem mentis, & ideo eligit minus damnum vt maius euitet, ergo propter hoc non debet impediri iustitia diuina quia peccator puniatur poena condigna peccato: quod est intelligendum de poena quae soluitur per modum debiti, non autem de illa quae imponitur ad remediū recidui, quia in purgatorio solum exigitur poena ad soluendum debitum & non ad preferuandum contra reciduum, sicut non maneat ulterius locus vel tempus peccandi, si autem penitentia iniuncta totaliter omittatur vel in parte, si fiat de voluntate & autoritate imponentis penitentiam vel ex impotentia faciendi eam, vel ex alia causa iusta & necessaria, tunc omittens eam facere non peccat, faciet tamen eam postea in presenti seculo vel in purgatorio: si autem omittat eam facere ex sola voluntate sua temeraria non solum faciet eam postea hic, vel in purgatorio, sed peccat mortaliter: quia si in foro contentioso non obediens sententiae iudicis reputatur & punitur tanquam contumax, multo magis in foro penitentiae in quo agitur causa salutis hominis, si recipiens penitentiam sibi iniunctam pro satisfactione peccatorum contemnat eam facere, sola temeritate ductus, contumax debet reputari & contemp-tor ecclesiastici sacramenti, quod non potest esse sine peccato mortali.

7 Ad primum argu. dicendum quod licet sacerdos sit arbiter, habet tamen limitatam potestatem, scilicet quo ad remissionem culpæ & dimissionem pœnæ virtute clauium quantum exigit contritio penitentis, non autem quo ad taxationem vel dimissionem pœnæ pro arbitrio voluntatis, nisi quod peccator si plus non faciat in hac vita quam sit ei taxatum non imputatur ei ad transgressionem.

8 Ad secundum dicendum quod quo ad forum ecclesiæ obligatur peccator ad faciendam penitentiam sibi impositam, & liberatur faciendo eam siue sit condigna, siue non, sed quo ad forum Dei non sufficit minor, nec exigitur amplior quam condigna: unde si peccator cui pœna est imposita maior in duplo quam exigit sua culpa decederet peracta sola mediocritate penitentia, euolaret ad cœli, nec exolveret residuum in purgatorio.

QVÆSTIO SECVNDA. Vtrum vnus possit pro alio satisfacere.

Secundo queritur vtrum vnus possit pro alio satisfacere. Et arguitur quod non, quia contritio, confessio, & satisfactio, ad se inuicem ordinantur, & sibi inuicem correspondent: sed vnus non potest pro alio conteri, aut confiteri, ergo nec satisfacere.

2 Item quando aliquis suscipit satisfactionem pro altero, si ille decedens moriatur antequam ille satisfactio nem expleat, aut puniatur pro peccato illo aut non. Si non, ergo ante satisfactionem debitam glorificatur: si sic, cum alius postea satisfaciatur, idem peccatum bis puniatur: vtrumque autem istorum est inconueniens, ergo illud ex quo sequitur, scilicet quod aliquis possit pro alio satisfacere.

3 IN contrarium arguitur, quia plus valet charitas apud Deum quam apud homines: sed apud homines vnus potest ex amore pro alio debitum soluere, ergo fortiori ratione apud Deum potest vnus ex charitate pro alio satisfacere.

4 RESPONSIO. Questio ista non intelligitur de quacumque satisfactione pœnæ peccato debita, sed solum de satisfactione, vel solutione penitentia in iuncta a sacerdote, circa quam sciendum est quod sicut patet ex præcedente questione pœna satisfactoria quæ imponitur penitenti valet ad duo, scilicet ad solutionem debiti, & ad præstatum remedium contra reciduum. Si ergo pœna consideretur prout præstat remedium contra reciduum, sic impossibile est quod vnus exolvat penam pro altero. Cuius ratio est, quia pœna non præstat remedium contra reciduum nisi quia bene disponit hominem ad bene resistendum occasionebus recidui, sed ex hoc quod vnus sustinet penam pro alio ille alius in nullo melius disponitur, sicut ex ieiunio vnus non maceratur caro alterius ad melius resistendum concupiscentiis carnis, & sic est in omnibus aliis: quilibet enim bene vel male disponitur, actu proprio & non alieno, ergo pœna quæ sustinetur ab vno, in nullo præstat remedium contra reciduum alterius.

5 Si autem pœna consideretur vt est solutio debiti, sic circa materiam istam sunt quedam clara, quedam verò dubia. Primum clarum est quod si satisfactio quam quis facit pro alio procedat ex autoritate sacerdotis imponentis penitentiam, certum est quod vnus potest satisfacere pro alio siue ille sit potens ad satisfaciendum, siue impotens. Cuius ratio est: quia nullus tenetur ad penitentiam sibi impositam, nisi secundum modum quo est sibi imposita. Si ergo imponens determinet quod penitentia fiat per illum qui peccauit, vel per alium, liberatus est a penitentia quæ fit per alium, siue illud sit ieiunium, siue peregrinatio, siue quodcumque aliud. In tota enim ista questione non loquimur de satisfactione absolute an vnus possit pro alio satisfacere, sed solum de satisfactione imposita contenti per sacerdotem absoluentem. Secundo clarum est, vel saltem est multum probabile quod si ille cui imponitur penitentia a sacerdote fiat impotens ad faciendum eam, alius potest pro eo penitentiam facere, quia nec Deus nec ministri eius intendunt aliquem obligare ad illud quod est ipsi impossibile: propter quod quia illa aliquo modo possumus quæ per amicos possumus, ideo ille qui est impotens per semetipsum ad faciendam penitentiam sibi iniunctam potest eam facere per amicum.

6 Dubium autem est vtrum ille cui iniuncta est penitentia & potest eam per semetipsum facere liberetur si faciat eam fieri per alium absque voluntate & licentia sacerdotis penitentiam imponentis. Et videtur probabiliter quod non, quia condemnatus iuste & iudicialiter non potest circa condemnationem aliquid immutare nisi de voluntate iudicis expressa vel presumpta: sed ille cui in foro penitentia imponitur aliqua pœna sustinenda, vel aliqua penitentia facienda condemnatur iudicialiter per sacerdotem, & supponitur quod iuste, ergo circa penitentiam sibi iniunctam nihil potest immutare nisi de voluntate sacerdotis expressa vel presumpta: expressa quando dicit, facies talis penitentiam per te vel alium: presumpta quando casus necessitatis incurritur qui reddit eum impotentem ad faciendam penitentiam ipsi iniunctam, imò videtur quod ille qui sola voluntate sua penitentiam sibi iniunctam facit fieri per alterum nisi in casibus prædictis, sit temerarius contemptor iudicii penitentia, nec penitentia sic facta per alium credenda est Deo esse accepta ad liberationem ipsius, quando iudicium sacerdotis qui est in absolutione vicarius Christi temerarie contemnitur. In casu autem in quo de voluntate sacerdotis fieret penitentia per alium, videtur quod per eam non tantum solvatur de pœna peccato debita, quantum si fieret per illum qui deliquit, quia pœna per penam recompensatur, sed magis est vnicuique penale illud quod facit per semetipsum quam illud quod fit per alterum, ergo plus recompensatur de pœna peccato debita quando ille qui peccauit facit penitentiam iniunctam per semetipsum quam quando fit per alterum.

7 AD primum argu. dicendum quod non est simile de contritione, & confessione, & satisfactione: quia contritio ordinatur ad dimissionem culpæ per dispositionem hominis, & quia vnus non disponitur ex actu alterius, vt dictum est prius, ideo vnus non potest conteri pro alio. Similiter confessio fit per absolutionem per quam gratia datur, vel data augetur ipsi contenti, & ideo confessio facta ab vno non valet alii: sed satisfactio ordinatur ad solutionem pœnæ debita: quæ vnus potest pro alio soluere in certis casibus, & ideo vnus potest pro alio satisfacere modis quibus dictum est prius.

8 Ad secundum dicendum quod ille qui decedit ante quam satisfactio, quam alius pro eo suscepit, sit completa, puniatur in purgatorio pro eo quod non est completum, nec tamen vnus peccatum puniatur bis: quia si ille puniatur in purgatorio plene antequam satisfactio quæ pro eo debuit fieri sit inchoata, tunc si ille qui eam faciendam suscepit postea eam faciat, cedit ad satisfactio nem propriorum delictorum, & non illius qui iam expeditus est. Si vero eam non faciat puniatur pro ea tanquam pro promisso non expleto. Et sic pro alio puniatur quum principalis sit punitus in purgatorio.

9 Argumentum alterius partis non concludit vniuersaliter, quia & si apud homines vnus possit pro altero potente vel impotente satisfacere quo ad rem debitam, non tamen quo ad iniuriam illatam nisi procedat de voluntate iudicis, vel partis: & similiter est in proposito cum agatur de penitentia quæ imponitur pro offensa diuina.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum indulgentia aliquid valeant.

Secundo principaliter queritur de indulgentiis per quas pœna satisfactoria dimittitur, & queruntur duo. Primum est de valore indulgentiarum. Secundum est quis possit facere indulgentias. Circa primum queritur duo. Primum est vtrum indulgentia aliquid valeant. Secundum est vtrum tantum valeant quantum sonant. Ad primum sic proceditur, & arguitur quod indulgentia nihil valeant ad dimissionem pœnæ peccato debita: quia ad potestatem excellentia quæ soli Christo cõpetit, nec est hominibus comunicata pertinet, vt effectus sacramenti detur sine sacramento, sed dimissio pœnæ pro peccato dicitur secundum totum vel partem esse effectus sacramenti penitentia, vt patet ex præcedentibus, ergo nullus purus homo potest aliquid dimittere de pœna peccato debita, nisi quantum dimittitur per absolutionem sacramentali virtute clauium, igitur per indulgentiam quæ datur sine sacramento penitentia nihil de pœna dimittitur.

2 Item

2 Item inferior non potest tollere ordinationem superioris, sed Deus absoluit ad culpa ligat hominem ad poenam temporalem, ergo de illa nullus purus homo potest aliquid dimittere per quancumque indulgentiam.

3 IN contrarium est generalis consuetudo & doctrina ecclesiae quae contineret falsitatem nisi per indulgentias dimitteretur aliquid de poena peccatori debita.

4 **RESPONSIO.** De indulgentiis pauca dici possunt per certitudinem, quia nec scriptura expressè de eis loquitur. Quod enim dictum est Petto Mat. 16. Tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcumque ligaueris, &c. intelligitur de potestate ei data in foro poenitentiae. De collatione autem indulgentiarum non est clarum quòd debet intelligi sancti etiam, ut Ambro. Hilarius, August. Hieronymus minimè loquuntur de indulgentiis. Greg. tamen loquitur qui etiam indulgentias Romae instituit in stationibus, ut dicitur. Et ideo loquendo de eis sequendus est modus communis. Duo ergo faciendae sunt. Primum est per quem modum indulgentiae valeat ad remissionem poenae. Secundum est unde vel ex qua causa valorem habeant.

1 Quantum ad primum sciendum est quòd poena pro peccato debita tripliciter potest remitti. Vno modo ex mera gratia quòd offensus totam offensam & poenam offensae debitam gratis remittit offendentis. Alio modo quando aliquis poenam debitam soluit pro alio, ita quòd poena non conditionatur gratis, sed soluitur per alium de voluntate seu ordinatione illius qui fuit offensus. Tertio modo quòd partim remittitur, & partim exolvitur, quod fit quando magna poena remittitur pro modica. Primus modus, & tertius videntur habere locum indulgentiis, si attendere communis usus nominis, tunc enim dicitur aliquis indulgere alteri delictum contra eum commissum quòd gratis & totaliter remittit culpam seu offensam & poenam pro culpa debitam, vel quando magnam poenam condonat pro modica: quando autem tota poena exolvitur per illum qui peccauit, vel per alium loco eius (quod pertinet ad secundum modum) non dicitur esse indulgentia, sed soluta. Sed quia secundum Hilarium non res sermone, sed sermo rei debet esse subiectus, ideo magis est attendendum ad veritatem rei quàm ad proprietatem sermonis: collat autem quòd solus Deus potest gratis condonare totam poenam vel partem poenae debitam peccato vel contra praecipua eius commissio, vel ille cui super hoc dedisset potestatem non apparet autem quòd Deus hanc potestatem dedit hominibus (quos fecit solum ministros noui testamenti & dispensatores ministeriorum Dei) quòd ipsi sine sacramentis quorum sunt dispensatores possint gratis condonare poenam pro peccato debitam, vel partem eius, nec etiam mediatis sacramentis: nam quando tota poena dimittitur in baptismo, vel pars virtute clauium in sacramento poenitentiae, non dicitur condonari, sed dicitur quod communicatur meritum passionis Christi ad dimissionem totius poenae in baptismo, vel ad dimissionem partis poenae in sacramento poenitentiae, ita quòd de merito poenae Christi exolvitur tota poena peccato debita, vel pars eius.

6 Et ideo communiter tenetur quòd modus quo valent indulgentiae est per modum solutionis poenae peccato debita, quod pertinet ad secundum propositum. Quod declarat sic, vnus potest satisfacere pro alio & maxime cum procedit ex autoritate superioris, ut patet ex praecedentibus. Est autem in ecclesia thesaurus spiritalis ex merito passionis Christi & sanctorum qui multo plura sustinuerunt tormenta quàm meruissent peccata eorum: & ideo ecclesia de hoc thesauro potest communicare alicui, vel aliis quibus, quod sufficit ad satisfaciendum pro eorum peccatis in parte vel in toto secundum quod placet ecclesiae de hoc thesauro plus vel minus communicare, hoc autem fit per indulgentias quae non sunt aliud quàm communicatio poenae Christi & sanctorum quae fit nobis ad satisfaciendum pro peccatis nostris. Unde indulgentiae secundum hanc viam valent per modum solutionis quatenus per Christum & sanctos soluitur poena nobis debita, & de merito Christi nullum est dubium quin pertineat ad thesaurum ecclesiae & sufficiat. Christus enim per passionem suam satisfecit quantum ad sufficientiam pro peccatis totius mundi, sicut praedixit Ioannes baptista. Ecce agnus Dei, ecce qui

Quaestio III.

tollit peccata mundi: ut habetur Ioan. 1. Et prima canonica Ioan. 2. cap. dicitur quòd ipse est propitiatio pro peccatis nostris, & non solum nostris, sed totius mundi: constat autem quòd non omnes de mundo saluantur sed pauci respectu aliorum secundum illud euangelicum: Multi sunt vocati, pauci verò electi, ergo de poena Christi quae sufficere potest ad recompensandum poenam omnium peccatorum mundi debita multum semper restat cum pro paucis qui saluantur satisfiat. Et si omnes de mundo saluarentur adhuc meritum passionis Christi superabundaret: quia quae ratione sufficiens est ad satisfaciendum pro peccatis totius mundi, eadem ratione sufficeret ad satisfaciendum pro omnibus peccatis plurium mundorum si essent.

7 De merito autem passionis sanctorum potest verum in dubium verum pertinere ad thesaurum ecclesiae. Potest enim videri quòd non, quia sicut patuit, 3. lib. dist. 18. vnus non potest mereri alteri, sic quòd meritum vnus cedat alteri ad meritum, sed solus quia fructus seu merces meriti vnus redundat in alterum, ut cum aliquis seruit diuiti, ut pauper ei obligatus à debito liberetur, vel ut habeat mercedem operis in toto vel in parte prout placet operanti transferre. Ex hoc sic arguitur: intentio merentis est necessaria ad hoc quòd fructus seu merces meritis redundet in alterum: sic enim fructus meriti passionis in nos redidat ex eius expressa intentione. Dixit enim, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur, & hic est calix sanguinis mei qui pro vobis fundetur. Quòd autem in intentio quoruncumque sanctorum fuerit fructus passionum suarum in nos transferre nulla historia docet, nec in gestis Martyrum legitur, quare liter ergo & per què modum fructus passionum suarum communicabitur nobis per indulgentiam factam à quocumque, non bene apparet. Item probatur sic: illud quod est plene remuneratum, vel postea remunerabitur non videtur quòd sit pro alio satisfactorium, sed quicquid poenae sustinuerunt sancti Martyres ultra quam peccata sua meruerant est eis plene remuneratum vel resumpto corpore remunerabitur plene, ergo non videtur quòd illud possit nobis cedere ad satisfaciendum, sed de thesauro ecclesiae datur nobis per indulgentiam unde satisfaciamus secundum hanc opinionem, ergo poenae quas sustinuerunt sancti non pertinent ad thesaurum ecclesiae, sed solum passio Christi quae excedit poenam omnibus peccatis mundi debitam. Minor supponitur. Maior etiam videtur ex praecedentibus satis clara: quia si tota merces meriti reddatur merenti & eam in seipso & pro seipso recipit, nihil restat quòd possit in utilitatem alterius cedere, quia extra totum nihil.

8 Contra tamen hanc rationem dicunt aliqui quòd secundum eam sequitur quòd nullus homo, nec etià homo Christus possit satisfacere pro alio, nec in toto, nec in parte, nec aliquis pro seipso, quae omnia sunt erronea & falsa. Quod probat sic, quia ut dicunt ipsi, Christo & omni homini plene remuneratum est vel remunerabitur in resurrectione quicquid meruerunt sustinendo quascumque passiones & quoscumque labores, si ergo illud quòd plene remuneratum est alicui non potest cedere ad satisfaciendum pro altero, sequitur quòd nec Christus per passionem suam, nec aliquis sanctus fecit, vel passus est aliquid quòd posset aliis cedere ad expiationem alicuius poenae, imò nec sibi ipsi, cum totum remuneretur ei. Haec autem instantia continet quendam manifestè falsam: constat enim quòd merita Christi non fuerunt in seipso à Deo plene & perfecte remunerata, nec remunerabuntur, sicut ceteris sanctis, nam summa merces quae remuneratur sancti pro suis meritis est visio beata & fructio, cetera enim omnia, sicut doctores corporis, & quaecumque alia pertinent ad praemium accidentale quòd est minus, & respectu alterius praemii, est quasi secundum quid, cum ergo Christus pro suis meritis non fuerit remuneratus visione & fructione beata (hoc enim habuit plenissime absque villo merito ab instanti suae conceptionis) patet quòd merita eius non fuerunt ei in seipso remunerata aequè plene ac perfecte, sicut ceteris sanctis, nec illo praemio summo quo Deus merita sanctorum & passiones remunerat supra condignum secundum illud Rom. 8. Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae reuelabitur in nobis, igitur quòd est ei minus plene remuneratum potest nobis

YY cedere

cedere ad satisfactionem, & illud fuit potissimum sue passionis meritum. Vnde omnes doctores concorditer dicunt quod Christus per passionem non meruit sibi nisi gloriam corporis & exaltationem sui nominis, nobis autem meruit redemptionem seu liberationem a peccatis: & sic clarissimum est illud quod ipsi dicunt de merito Christi & eius remuneratione in seipso. Item fallum est quod dicitur quod secundum nostram rationem sequitur quod nullus homo possit satisfacere pro alio, nec pro seipso: quia pena per penam recompensatur. Si quis ergo pro peccatis suis sit debitor penae, & ipse contritus sit propria sponte, vel ex sacerdotis impositione faciat aliquam penitentiam, quare non satisfaciet in aliquo pro seipso? Similiter si de voluntate sacerdotis vnus faciat penitentiam pro alio imponente, quare non satisfaciet in aliquo pro eo? non apparet, nec ex ratione nostra sequitur.

o Circa quod est intelligendum quod omne opus bonum factum pro Deo, & in charitate est meritum vitae aeternae: si autem sit penale non solum est meritum pro se, quia bonum, imò est satisfactorium pro pena debita, nec plus remunerabitur in quantum penale, nisi per expiationem penae debita, semper tamen eorum erit a Deo in quantum est bonum & virtuosum, & remunerabitur praemio essentiali. Si autem operans non sit debitor alicuius penae, vel non tantae: tunc opus suum penale remunerabitur non solum praemio essentiali quia bonum fuit, sed praemio accidentali, quia fuit penale. Et secundum hoc martyres non solum dicuntur habere auream quod est praemium essentiali, sed aureolam, hoc est aliquid praemium accidentale propter penalitatem martyrii. Cum ergo dicitur quod omne opus bonum remuneratum est vel remunerabitur cuiuslibet in resurrectione, verum est quantum ad praemium essentiali, sed si sit non solum bonum, sed penale, & operans seu sustinens penam fuerit debitor penae pro seipso vel sustinuit eam pro alio, tunc talis pena non plus remunerabitur, quia iam cessit in solutionem alterius penae.

io AD primum arg. dicendum quod duplex est effectus sacramenti. Primus est qui est remissio culpae & collatio gratiae, & secundus qui est remissio vel diminutio penae: collatio primi effectus pertinet ad potestatem autoritatis & non ad potestatem excellentiae nisi meritorie: ut dictum fuit supra cum ageretur de baptismo: collatio autem secundi effectus qui est remissio vel diminutio penae potest pertinere non solum ad potestatem excellentiae, sed etiam ad potestatem ministerii. Si enim purus homo non habens potestatem, nec excellentiam, nec ministerii potestatem satisfacere pro pena alteri debita, multo magis hoc potuit Christus, & ille etiam qui constitutus est ab eo summus minister ecclesiae, cui commissum est a Christo quod de thesauro passionis Christi possit communicare fidelibus ad expiationem penae quam debent: supponitur autem quod talis sit Papa, quo non supposito non apparet via per quam indulgentiae possint aliquid valere.

ii Ad secundum arg. dicendum est quod per indulgentias non tollitur ordinatio Dei, sed impletur. Deus enim remittens culpam & obligans ad penam non ordinavit quod illa pena non possit expiari per illum qui debitor est penae, vel per alium qui penam soluit pro eo: & sic fit in indulgentiis, quia per indulgentias communicatur de pena passionis Christi illi cui sit indulgentia, unde soluat vel satisfaciat pro pena sibi debita, quare &c.

QVAESTIO QVARTA.

Virum indulgentiae tantum valeant quantum sonant.

AD secundum sic proceditur. Et arguitur quod indulgentiae non tantum valeant quantum sonant: quia quandoque datur indulgentia quod qui praebet auxilium ad fabricam alicuius ecclesiae consequetur tertia partem remissionis peccatorum. Si ergo indulgentiae tantum valeant quantum sonant, qui tunc daret vnum denarium, & secundum alium, & tertio tertium consequeretur plenam absolutionem ab omni pena peccatis suis debita, quod videtur absurdum.

o Item quandoque datur indulgentia euntibus ad ecclesiam aliquam non distinguendo an veniant de remotis an de propere. Si ergo indulgentia tantum valerent quantum sonant, videretur quod tantum valerent illi qui est iuxta ecclesiam quantum illi qui veniret a remotis partibus, quod tamen non videtur aequum.

Item ad talem ecclesiam posset quis pluries in die ire: sed forma indulgentiae non dicit nisi quod euntes ad ecclesiam participant talem indulgentiam, ergo quotienscunque aliquis ibit ad ecclesiam eodem die, totiens habebit indulgentiam, & ita vno die poterit consequi facillime in expiationem totius penae sibi debita, quod non videtur conueniens.

4. IN contrarium arguitur, quia ecclesia non decipit filios suos, sed deciperet nisi indulgentiae tantum valerent quantum sonant, ergo &c.

RESPONSI O. Ista quaestio supponit ex praecedente quaestione quod indulgentiae aliquid valeant: & per hoc excluditur opinio quorundam qui dixerunt quod indulgentiae valent in iudicio ecclesiae, sed non in iudicio dei, quia per indulgentiam aliquis absoluitur a penitentia sibi iniuncta, ut non teneatur eas facere in praesenti vita, & hoc sonat forma communis indulgentiarum. Dicitur enim in forma indulgentiarum quod penitentia iniuncta talem vel talem partem misericorditer relaxamus, sed non absoluitur a pena culpae debita secundum iudicium Dei quin eam totam exolvat in purgatorio. Sed secundum hanc opinionem indulgentiae non valerent, sed magis nocerent. Cuius ratio est, quia remittere minorē penam & transmittere ad grauiorem non est alleuatio, sed nocentia, sed si indulgentiae valerent solum primo modo, tunc remitterent leuiorem penam, scilicet huius vitae, & transmitterent ad grauiorem, scilicet purgatoriam, imò non esset ibi aliqua remissio penae, sed dilatio cum augmento eiusdem, ergo indulgentiae non valerent, sed potius nocerent, quod non est dicendum hac ergo opinione reiecta videnda sunt duo. Primum est, utrum indulgentiae tantum valeant quantum sonant. Secundum est, quibus valeant.

o Quantum ad primum est multiplex modus dicendi. Vnus est, quod indulgentiae valent secundum mensuram deuotionis illius cui sit indulgentia, & non quantum sonant. Sed istud non tenetur, quia vel indulgentia valet praecise secundum mensuram deuotionis suscipientis indulgentiam, dato quod non faciant illud pro quo datur indulgentia, quod est absurdum: quia tunc si daretur indulgentia eunti in terram sanctam, & aliquis infirmus & impotens ire habere deuotionem eundi tantam quantum habet ille qui actualiter vadit, sequeretur quod non vadens ad terram sanctam haberet tantam indulgentiam quantum ille qui vadit, quod non potest esse verum, quia quod datur sub conditione non habetur nisi ab illo qui implet conditionem, sed omnes indulgentiae dantur sub conditione alicuius operis faciendi vel iam facti, ergo qui non implet illud pro quo datur indulgentia, non habet indulgentiam. Si autem intelligatur quod valor indulgentiae est secundum mensuram deuotionis illius cui datur indulgentia non praecise, sed supposito quod faciat illud pro quo datur indulgentia adhuc non est verum: quia licet ille qui habet maiorem deuotionem habeat plus de merito apud Deum, tamen non habet plus de relaxatione penae per indulgentiam, alioquin forma indulgentiae contineret falsitatem, in qua dicitur quod quicumque fecerit hoc vel illud habebit tantam indulgentiam: igitur quilibet faciens illud pro quo datur indulgentia habet totam indulgentiam, vel forma indulgentiae est falsa.

7. Secundus modus est, quod indulgentiae valent secundum mensuram rei datae, vel factae prout in forma indulgentiae exprimitur ad dandum vel faciendam, sed istud non valet, quia hoc non esset indulgentia, sed commutatio. Et etiam commutatio non est necessaria, elemosyna enim vel peregrinatio est secundum se satisfactoria. Si igitur tunc pro elemosyna data, vel peregrinatione facta non datur per indulgentiam alicui, nisi quantum hoc ponderat, tunc non valerent elemosyna vel peregrinatio, & iterum iste modus ponit doctrinam ecclesiae falsam, ex quo indulgentiae non tantum valent quantum sonant.

8. Tertius modus est quod indulgentiae tantum valent quantum sonant, si causa pro qua sit indulgentia est condigna quantum

quantitati indulgentiæ: verbi gratia, si accipientibus crucem transmarinam detur indulgentia plenaria, videtur iustificans causa, quia quæ mors tolerata pro Christo expiet omnem penam illis qui vadunt ultra mare, quum exponant se morti pro Christo, videtur iustum esse quod detur indulgentia plenaria, in aliis similiter est considerandum an causa indulgentiæ sit eis proportionata. Hæc autem opinio bene est probabilis, tamen non est totaliter concordis consuetudini communi ecclesiæ quæ non obseruat hanc proportionem, sed pro visitatione alicuius ecclesiæ certa die dat magnam indulgentiam quandoque viginti annorum, & pro eadem casu dat quandoque maiorem, alii quando minorem.

Ideo est quartus modus qui tenetur communius scilicet quod indulgentiæ tantum valent quantum sonant, non ex deuotione suscipientis, vt dicit prima opinio, nec ex quantitate rei datæ, vt dicit secunda, nec ex proportione ad causam indulgentiæ, vt dicit tertia, sed ex abundantia meritorum Christi, supposito quod in dante sit autoritas, in suscipiente idoneitas (de qua dicitur in secundo articulo) in causa pietas, scilicet ad honoræ Dei & vilitatē ecclesiæ. Quod probatur sic: meritum Christi est sufficiens ad expiationem omnis pœnæ, si ergo per indulgentiam applicatur alicui qui sit eius capax, & per illum in quo est autoritas, & pro causa pia in qua est honor Dei, & ecclesiæ vtilitas ad quæ ordinatur merita Christi, patet quod tantum de pœnna expiatur ad quantam expiandam applicatur, & hoc modo tantum valent indulgentiæ quantum sonant: & sic patet primum, videlicet quod indulgentiæ tantum valent quantum sonant. Sed videamus nunc qualiter sonant. Certum est quod forma indulgentiarum expressa in literis papalibus est talis: Omnibus verè penitentibus & cōfessis qui hoc vel illud fecerint tantum de penitentibus sibi iniunctis misericorditer relaxamus, igitur forma indulgentiæ non sonat nisi quod certa pars de iniunctis penitentibus relaxatur. Penitentibus autem iniuncta sunt illa solū quæ imponuntur a sacerdote confitenti, canones enim nulli imponunt penitentiam, sed docent qualis & quanta sit imponenda. Et ideo de prædictis penitentibus sic a sacerdote iniunctis certa quantitas per indulgentiam relaxatur, ita quod licitum est recipienti indulgentiam ommittere tantam partem penitentis sibi iniuncta, & valeat ei indulgentia ad expiationem tantæ pœnæ quantum valuisset penitentia si per eum esset facta, alioquin non essent viles, sed nocuæ, vt supra dictum fuit.

Sed quid erit de illo qui, completè facit omnes penitentias sibi iniunctas, nunquid sibi valebunt aliquid indulgentiæ? Videtur quod non, quia non valeat nisi quantum sonant, sed non sonant nisi quod certa pars penitentis iniuncta relaxatur, ergo ad hoc solū valens, sed ad hoc non valent illi qui propter eas nihil omittit de penitentibus sibi iniunctis, sed eas completè facit, ergo nihil ei valent. Et dicendum est quod imò ei valent, quia ille qui facit id pro quo datur indulgentia statim consequitur fructum indulgentiæ: videlicet quod non tenetur facere illam penitentiam quæ sibi relaxata est per indulgentiam, & de pœnna peccatis suis debita tantum remissum est, quantum remissum fuisset si illam penitentiam fecisset. Si autem ultra hoc vult penitentiam facere, & facit eam, licet non teneatur, hoc valet ei ad meritum & remissionem vltioris pœnæ, quia pœnna per pœnnam recompenatur. Quod ergo dicitur indulgentiæ non valent illi qui propter eas non omittit facere aliquid de penitentibus sibi iniunctis, cum ad hoc per se & directè valeant indulgentiæ, dicendum est quod imò: quia semper absoluitur ab obligatione faciendi illas penitentias, & a pœnna penitentis proportionata. Sed si gratis vult illam vel magis similem penitentiam facere, hoc cedit ei ad meritum, & ad expiationem vltioris pœnæ.

Quantum ad primum dictum est, quod indulgentia non valet existentibus in peccato mortali, nec eis qui sunt in charitate, nisi explant conditionem indulgentiarum. Primum patet, quia indulgentiæ ordinantur ad expiationem pœnæ, sed pœnna nō expiatur nisi culpa dimissa, ergo perseverantibus in peccato mortali non valet indulgentia. Secundum patet, quia sicut dictum est prius, indulgentiæ dantur sub conditione alicuius operis faciendi,

vt est elemosyna data ad fabricam operis, vel visitatio liminum aliquorum sanctorum, vel oppugnatio hostium fidei, vel aliud cōsimile, quam conditionem qui non explet, non habet indulgentiam: & ideo pauper & religiosus qui non facit illud quod in indulgentia continetur, licet possit habere meritum ex deuotione sua, non tamen consequitur indulgentiam. Quicumque autem est in charitate, & cum hoc est verè confessus, si facit illud pro quo datur indulgentia consequitur eam, etiam ille idem qui facit indulgentias: quia licet nullus possit excommunicare se directè vel indirectè, eo quod excommunicatio profertur per modum sententiæ, & nullus potest esse iudex sui ipsius, indulgentiam tamen potest recipere à seipso, faciendū illud pro quo datur indulgentia, quum fiat per modum dispensationis, quia quilibet potest vti & ad se & ad alium. Dico autem si sit confessus: quia communis forma indulgentiæ est quod datur verè penitentibus & confessis. Sed nunquid absque supradictis conditionibus potest dari indulgentia, videlicet contritis & non confessis, & absque hoc quod imponeretur aliquid dandum vel faciendum, puta elemosyna, vel peregrinatio? Credo quod sic: ex quo enim alius quis est in charitate, capax est indulgentiæ, & ideo potest ei conferri antequam sit confessus. Papa etiam concedit multis quod possint absolui generali absolutione quantum extendunt se clauis Petri. Ista autem absolutio non solum est a culpa, quia illa semper est generalis, cum vna culpa nō possit remitti sine alia, sed extendit se ad dimissionem pœnæ, & tamen Papa nō imponit talibus aliquid faciendum. Et simili modo videtur quod possent dari indulgentiæ (vt dicitur) absque hoc quod Papa imponat ad dandum vel faciendum.

Per idem patet quod indulgentiæ non valent existentibus in purgatorio directè, quantum ipsi sint in charitate: quia ipsi non possunt facere id pro quo datur indulgentia, & iterum non sunt de foro ecclesiæ. Et quia potestas data Petro est absolueri & ligare super terram, sicut dicitur est ei: Tibi dabo clauis regni caelorum, & quodcumque ligaueris super terram, &c. Vnde potestas Papæ per se & directè extendit se solum ad statum presentis vite: possunt tamen in eis indirectè valere per modum satisfacti, quatenus alius quis qui indulgentiam recipit faciendū id pro quo datur indulgentia ex intentione transfert eam in satisfactionem eius qui est in purgatorio.

AD primum argui, dicendum quod quando datur sic indulgentia quod dat elemosynam vel auxilium ad fabricam ecclesiæ, &c. intelligitur de auxilio quod est conueniens ei qui auxilium dat, & negotio pro quo datur. Et ideo cum pauper dans vnum denarium ad fabricam ecclesiæ det conuenienter secundum conditionem paupertatis suæ: diues autem dans vnum denarium non det conuenienter secundum conditionem diuitiarum suarum, patet quod pauper consequitur totam indulgentiam, quam diues non consequitur, & si pauper consequatur remissionem omnium peccatorum suorum pro tribus denariis, non est hoc nimis magnum forum de misericordia Dei, dummodo sit debita causa hoc faciendi, quia multo plus fuit misericors. Christus sustinendo pro nobis passionem, cuius virtute fit indulgentia.

Ad secundum dicendum quod ille qui est vicarius ecclesiæ, & sacerdotes & clerici, scholares & religiosi officiantes in ecclesia consequuntur tantam indulgentiam sicut illi qui veniunt à multis dietis, sed non tantum meritum: quia secundum quantitatem deuotionis & laborum est quantitas meriti essentialis & accidentalis: nec est in hoc aliqua iniustitia, cum indulgentiæ non dentur ex debito, sed ex beneplacito illius qui habet thesaurum ecclesiæ dispensare supposita legitima causa: & ideo licet ei quod vult facere sine præiudicio cuiuscunque.

Ad tertium dicendum quod forma indulgentiæ videtur sonare quod vadens ad ecclesiam aliquam solū habet indulgentias semel pro vno die. Dicitur enim in indulgentiis communiter, quod qui visitauerit talem ecclesiam die tali vel aliquo alio intra octauam habeat indulgentias, & nō dicitur tali hora vel singulis horis. Vtrum autem indulgentiis datis ad aliquod magnum tempus, vadens singulis diebus consequitur eas quotiens vadit? Dicunt aliqui quod quando indulgentia data est ad deter-

minatum tempus, puta ad octo dies, sic tunc non percipitur nisi semel, prorogatur autem tempus hac sola de causa, vt qui non potest venire vno die ad locum indulgentiarum veniat alio, & non vt aliquis pluries veniens pluries consequatur indulgentiam: quando vero datur ad semper, vt in ecclesia beati Petri, tunc vt dicunt, singulis diebus potest homo habere indulgentiam, hoc autem vtrum sit verum, an non, nō potest sciri per certitudinem, nisi Papa hoc determinet, &c.

QVÆSTIO QVINTA. Quis potest dare indulgentias.

Deinde quæritur quis potest dare indulgentias. Et videtur quod quilibet episcopus dare possit sicut Papa, quia ad sponsum pertinet disponere de rebus sponse, sed quilibet episcopus est sponsus ecclesie. Vnde & in consecratione sua recipit anulum tãquam sponsus, ergo potest dispensare thesaurum ecclesie, sed hoc est facere indulgentias, ergo &c.

Item aut Papæ conuenit facere indulgentias ratione ordinis, aut ratione iurisdictionis, nō ratione iurisdictionis, quia iurisdictione pertinet ad forum contentiosum, indulgentia autem magis respiciunt forum poenitentiae quum ordinentur ad relaxandam poenā satisfactoriæ, ergo conuenit ei ratione ordinis, sed in ordine parificatur quilibet episcopus Papæ, ergo potest facere indulgentiam sicut Papa.

IN contrarium est quod ille solus potest dispensare thesaurum communem ecclesie, qui præest toti ecclesie, sed hic est solus Papa, ergo &c. Pro hoc sunt iura quæ dicunt potestatem Papæ illimitatam quo ad indulgentiam, potestatem verò episcoporum limitatam.

RESPONSIO. Sicut patet ex præcedentibus indulgentiæ valent inquantū merita Christi applicatur per illum qui dat indulgentias alicui, vt satisfactoria pro poenā ipsi debita, quo supposito est duplex modus dicendi.

Vnus est q̄ duo pertinent ad illum qui dat indulgentias, vnum est, potestas ordinis saltē sacerdotalis, per quam est vel potest esse iudex in foro poenitentiae. Aliud est cura ecclesie vniuersalis ratione cuius pertinet ad ipsum dispensatio thesauri ecclesie. Ratio primi est, quia poenā impostam per iudicē & iudicialiter, nullus potest remittere vel relaxare nisi iudex qui eam imponit vel superior eius qui potest de ea iudicare, & iudicialiter cognoscere. Sed per indulgentiam remittitur seu relaxatur poenā per sacerdotem iniuncta in foro poenitentiae, sicut patet ex forma expressè contenta in indulgentiis vbi dicitur, tantum de iniunctis poenitentis misericorditer relaxamus; ergo talem indulgentiam nullus potest facere, nisi ille qui potest de poenā prædicta iudicare, & iudicialiter cognoscere. Sed talis non est aliquis nisi sacerdos, ergo oportet illum qui facit indulgentiam per quam poenā iniuncta in foro poenitentiae relaxatur esse sacerdotem.

Ratio secundi est, quia thesaurus ecclesie quē Christus sponsum eius dimisit ei tanquā sponsæ nō est diuisus in ecclesia, ita vt in vna particulari ecclesia sit vna pars illius thesauri, & in alia, alia pars, sed est vnus & indiuisus in tota ecclesia. Et ideo ad illum vnum qui loco Christi sponsi ecclesie vniuersalis præsidet toti ecclesie pertinet dispensare prædictū thesaurum. Et secundū hanc opinionem solus Papa iā consecratus, vel saltē in sacerdotem ordinatus potest autoritate sua indulgentiā facere, cum ipse solus habeat curā vniuersalis ecclesie. Episcopi autem quū habeant ordinem parem, sed non curam (quia solū sunt assumpti in partem sollicitudinis) se non possunt facere indulgentias, nisi inquantū eis à Papa committitur. Ceteri verò maximè non sacerdotes nō possunt indulgentias facere etiam ex commissione, quū collatio indulgentiarum requirit ordinem qui ex commissione nō potest haberi. Quod ergo cardinales non sacerdotes vel electi in episcopos nondum ad sacerdotium promoti dicuntur ex commissione Papæ, & iure facere indulgentias, exponendum est quod faciunt (id est) denunciant factas per Papam, vt sint potius denunciatores quàm datores.

Alius modus est tenens eandem conclusionē, scilicet quod soli Papæ cōpetit facere indulgentias ex autoritate

& non ratione alicuius ordinis, sed ratione solius iurisdictionis. Vnde Papa electus antequā sit sacerdos potest conferre indulgentias, & iste modus si poneret quod Papa ratione vniuersalis curæ quā habet super totam ecclesiam potest facere indulgentias esse tolerabilior: sed quia dicitur quod ratione iurisdictionis hoc ei competit, non videtur rationale, quia dare indulgentias nō est actus iuridicus, nec per modum iurisdictionis exercetur, vt prius dictū fuit: alioqui cum iurisdictione trāseat in inurium, nec aliquis potest vt iurisdictione in seipsum, sequeretur quod inuis potest habere indulgentias, & quod dans indulgentias non posset eas habere faciēdo illud pro quo dantur indulgentias, quorum vtrunq̄ est falsum. Veruntamen quacunq̄ ratione competat Papæ facere indulgentias, nō est dubium quin competat ei ratione curæ vniuersalis ecclesie: vltus tamen habet quod Papa non consecratus, nec in sacerdotem promotus potest indulgentias facere. Aduertendum tamen est, quod licet sic sentiendū sit de indulgentiis, tamen vnaquisq̄ persona singularis potest merita sua alteri applicare ad satisfaciendum pro eo. Et Eodem modo videtur quibusdā quod ille qui præest alicui congregationi (vt Abbas in monasterio suo) potest bona suæ congregationis alteri applicare; & forte idem est de episcopo in sua diocesi, & de Papa in tota ecclesia, quod nō assero nisi pro cedat de voluntate personarum singularium: si tamē hoc sit possibile, talis applicatio non habet rationem indulgentiæ proprie loquendo, quia nec in vna persona, nec in congregatione aliqua, nec in tota ecclesia est tanta copia meritorum excepto merito Christi, vt sufficiant ad satisfaciendum pro poenis debitis omnibus quibus applicari possunt, propter quod nunquam est certum quantum valent sicut de indulgentiis.

AD primum argumentum dicendū est quod episcopus est sponsus ecclesie sibi commissæ, non autem vniuersalis ecclesie, sed solus Papa.

Ad secundum dicendum quod Papæ conuenit dare indulgentias ratione curæ vniuersalis quam solus habet super totam ecclesiam, & ratione ordinis saltē sacerdotalis secundum opinionem primam, vel ratione solius curæ vniuersalis, sicut dicitur secunda opinio, & vltus ecclesie hoc tenet: & quia nullus episcopus habet curam vniuersalis ecclesie præterquam Papa, ideo nullus alius à Papa potest dare indulgentias autoritate sua, ideo &c.

Sententia huius distinctionis. X X I. in generali & speciali.

Soleat etiam quæri vtrum post hanc vitam, &c. Superius determinauit Magister de tempore poenitentie: hic vero mouet quædam obiectiones incidentes circa determinata, & soluit. Et diuiditur in duas. Primum mouet questionem circa poenitentiae tempus. Secundū circa confessionem quæ à poenitentibus requiritur. Secunda ibi, post hæc considerandum est. Prima in duas, quia enim supra dixerat, quod tempus poenitentiae durat vsq̄ ad finem vitæ, & omnia peccata dimittuntur per poenitentiam in hac vita: ideo primū quærit vtrum aliqua peccata post hanc vitam dimitti possint, & determinat veritatem per autoritates sanctorum. Secundū remouet quorundam responsiones ad autoritates inductas ibi, sed forte dicitur. Prima diuiditur in tres. Primum determinat veritatem questionis intentæ, ostendens quod post hanc vitam aliqua peccata dimittuntur in purgatorio. Secundū ostendit quod quidam tardius liberantur & purgatur à peccatis. Tertio ex veritate determinat mouet quædam dubitationem, & soluit. Secunda ibi, in illo autem igne purgatorii. Tertia ibi, hic obitici potest. Secunda pars principalis, in qua inquiritur de confessione diuiditur in duas. Primum inquiritur quædam ex parte confitentis. Secundū ex parte confessoris, qui s. confessionem audit. Secunda ibi, Caueat autem sacerdos.

IN speciali sic procedit: & primū quærit, vtrum post hanc vitam aliqua peccata dimittantur. Et respondet quod sic per autoritatē domini dicentis, aliqua peccata nec hic, nec in futuro dimitti: ex quo datur intelligi quod quædam peccata dimittuntur in hac vita, & quædam in futuro: & per autoritatem beati Augustini, dicentis eos qui adificiant ligno, festuca, stipula, id est, qui peccata venialia secum